
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

7

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
INFLAMMATIONE;

quam,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PATRICIUS MAGRANE,

HIBERNUS,

SOCIET. MED. EDIN. SOD.

SOCIET. PHYS. REG. ET SOCIET.

PHYS. AMER. SOD. EXTR. ET PRÆSES ANN.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

PATRICIO M^CGAURAN, ARMIGERO,

AVUNCULO SUO,

OB MULTA BENEFICIA,

CURA VERE PATERNA,

MULTOS ANNOS,

IN SE COLLATA,

HANCCE CHARTULAM

SACRAM VULT

A U C T O R.

	<i>Page</i>
<i>De vasorum irritabilitate,</i>	— — — 3
<i>De inflammationis phaenomenis,</i>	— — 16
<i>De causis excitantibus,</i>	— — — 24
<i>De partis inflammatae vasorum conditione,</i>	33
<i>De symptomatum ratione,</i>	— — — 51
<i>De curatione,</i>	— — — — 57
<i>Notae,</i>	— — — — 67

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

IRRITABILITAS, — seu animalium fibrae muscularis proprietas, quâ, variis corporibus applicatis, se contrahit, — animalia viventia ab iisdem mortuis distinguit. Motus ab hac proprietate pendentes, ab iis, qui communicantur, vel hoc secernit, eorum magnitudinem causae *mechanicae* eos excitandi non respondere; violentissimos enim acûs punctura ciet. Diversi sunt a motibus gravitatis, quoniam eâdem facilitate quaquaversus con-

A

citantur.

DISSERTATIO MEDICA

citantur. Denique a *chemicis* alieni sunt, quia, in rebus, quae moventur, nullae mutationes hujusmodi manifestò fiunt*; nam, quamvis res *chemicae*, *oxygenium* puta, tales mutationes efficere possint, mucronem eundem effectum edere maximè creduli existimare non possint.

Si vera sunt quae suprà dixi, primùm, ad morborum *phaenomena* explicanda, quaerendum est nobis de hac proprietate, adeò ut ejus leges detegantur. Id quod objicitur, sed forsan paulò temeriùs, *irritabilitatis* causam prorsùs ignotam esse, nos investigandi ejus leges minus avidos reddere non debet, nam idem de affinitatis *chemicæ* legum causa, nempe in tenebris involutam esse, dici potest.

Deinceps variationes vis contractilis muscularum cavorum, quippe quae sint clavis ad symptomatum causas et manifestos medicamentorum effectus aperienda, indagandae sunt. Mihi visum est pauca differere de inflammatione, inter quam et vasorum actionem tam

arctus

* DARWIN. Zoonomia.

arctus nexus intercedit, eo consilio, ut alios, quibus majus ingenii acumen contigit, eorum animum ad hanc rem dirigere, instigarem.

De vasorum irritabilitate.

Plerique *anatomici* tres tunicas arteriis attribuunt; externam, scilicet quae et vi resiliendi praedita est; muscularum; et internam, parum vis resiliendi habere creditam. Quorum prima medicorum attentionem prae ceteris sibi vindicavit; partim ob facilitatem dotes ejus investigandi, magis autem quia cupiditate adducti sunt huic rei doctrinam mathematicam applicandi. Sed quamvis in calculis hoc spectantibus subducendis plurimum operae laboriose impenderunt, iis jam satis esse persuasum videtur, sanguinis circuitus phaenomena explicari non posse, nisi vim muscularum vasis inesse concedatur.

Arteriae proprietate suâ resiliendi, solummodo sanguinis motui impetriri possunt vim cordis,

cordis, quae amittitur eas distendendo; ideoque argumenta, quae adversus vim cordis foliam sanguinis circuitum perficientem in medium prolatae sunt, huic opinioni similiter repugnant. Haec argumenta praebent causae sanguinis velocitatem impedientes. *1mo*, Ramorum areas, simul sumptas, truncum unde oriuntur magnitudine superare.—*2do*, Sinuosae arteriarum flexiones, et anguli, quos rami cum trunco, efficiunt.—*3to*, Minorum vasorum *anastomoses* per quas contrarii sanguinis rivuli sibi invicem adversantur.—*4to*, Sanguinis visciditas.—*5to*, Ejusdem vasorum parietibus adhaesio.—*6to*, Pondus partium arterias amplectentium non perfectè resiliuentium.

Arterias musculares esse, duplice modo constat: nimirum, ab experimentis in quibus eorum contracções, variis admotis stimulis excitatae sunt; et ab observationibus de earundem diversis conditionibus in quibusdam partibus et in statu corporis vel fano vel morbido. Omnium hujusmodi experimentorum, ea quae a VERSCHUIR facta sunt, tum ob numerum tum

ob accurationem quâ perfecta sunt, praecipua attentione nostra digna haberi debent. Et quoniam hujus Scriptoris Dissertatio in manibus tantùm paucorum hac in regione versatur, si hic loci veram eorum epitomen, quam ipse auctor collegit, proferam, mihi veniam datum iri spero.

“ In nonnullis * nulla manifesta irritabilitatis et contractionis signa, licet variis stimulis arterias irritarem, detegere potui †:
“ laetus video mea hac in re cum iis ill. HALERI convenire.”

“ In aliis res non adeò manifesta fuit, ut
“ dubius haererem, num quidem ille effectus
“ principio

* Haec experimenta in canibus instituta sunt.

† “ Vid. Exper. iv. xii. xv. xx. xxi. In Exper. iv.
“ manifesta valde irritabilitas erat utriusque venae
“ cavae, azygae: verum seorsum hic de arteriis
“ ago. In multis vero Exper. quaedam adfuerunt
“ arteriae ad stimulum inertes, licet in aliis arteriis
“ eodem tempore irritabilitas ad stimulum bene vi-
“ geret”.

“ principio irritabili tribui deberet, an potius
 “ alii cuidam causae: neque haec mihi satif-
 “ fecerunt, ut absque scrupulo calculum ad-
 “ firmanti sententiae adjicere auderem, cum
 “ tamen saepius idem, omni adhibitâ cautelâ,
 “ viderem, cùm luculentiora iis irritabilitatis
 “ indicia observarem, majorem vim probandi
 “ arteriarum irritabilitatem adquisiverunt *.”

“ Expertus enim sum ad irritationem ope
 “ stimuli ferrei in arteriis contractiones, quas
 “ non solum ego, sed et amici, et socii me-
 “ cum viderunt: gaudeo in primis haec con-
 “ firmari auctoritate cel. VAN DOEVEREN,
 “ viri naturam consulere soliti, peritissimi, qui
 “ quidem his experimentis quandoque adesse
 “ voluit. Leviter radendo et comprimendo
 “ ope scalpellî et tenaculæ, arterias contrahi
 “ vidi, non unâ, sed iteratis vicibus; mani-
 “ festissimè

* “ Vid. Exper. ii. iii. vi. x. xi. xix. In aliis
 “ Exper. quibus manifesta indicia irritabilitatis in
 “ arteriis adparebant, satis frequenter quaedam ar-
 “ teriae fuerunt, quae non valde manifesta signa
 “ contractionum dabant.”

“ festissimè semel, dum attentus eram ad
“ mutationem ex irritatione in arteria ortam,
“ observavi hanc partem esse contractiorem
“ ac antè fuerat, momento cum hunc effectum
“ inspexeram, en arteria eodem illo loco lon-
“ gè arctius ac adhuc fuerat, (quasi nunc de-
“ mum penitus percipiens stimuli molestiam),
“ ante oculos sese constringit, adeò clarè, adeò
“ dilucidè, ut nullum dubium de irritabilitatis
“ effectu restaret *. Saepe quoque arteria ali-
“ quot locis se contrahere observabatur, ita ut,
“ si hae constrictiones non multum distarent,
“ sed sibi vicinae essent, tum diameter, ele-
“ ganti phaenomeno, inaequalis adpareret,
“ hinc inde quasi ligamine constricta, inter-
“ media loca vero viderentur paulò turgidi-
“ ora, et facile esset hos nodos et inaequalita-
“ te digitorum tactu sentire †. Nonnunquam
“ disparebant, animali adhuc vivo, haec in
“ arteria phaenomena, aliquando, sed diffici-
“ lius novae contractiones rursus excitaban-
“ tur: brevi tamen post mortem semper,
“ quantum

* Vid. Exper. vii.

† Vid. Exper. v. xiii. xiv. xvii. xviii.

“ quantum observavi, cessabant * : confirmant
 “ haec quām maximè, illos effectus non de-
 “ bere deduci ex mechanica quadam laesione,
 “ sed oriri ex principio vitali. Attendi et
 “ longiori tractu arteriam se contraxisse, ut
 “ diameter ad insignem distantiam magis con-
 “ stricta esset, quām erat supra et infra eum
 “ locum †.”

“ Memoravi hactenus solum in arteriis con-
 “ strictiones perpetuas tanquam effectus irri-
 “ tabilitatis, non semper tamen tales adfue-
 “ runt, cum arteriae, hujus principii indicia
 “ darent: sed et expertus sum singularem
 “ motum, pulsus celeriorem et fortiorem,
 “ penitus distinctum a reliquis, ut arteria in-
 “ star vermis ferè reperet, seseque agitaret,
 “ miro certè spectaculo: quod omnino de-
 “ monstrat propriam arteriarum agendi vim ‡.
 “ Verum longè saepius arteriae irritatae mihi
 “ exhibuerunt contractiones violentas et per-
 “ stantes

* Vid. Exper. viii.. xvii. xviii.

† Vid. Exper. xiv.

‡ Vid. Exper. xxii.

“ stantes quae alternâ vice non remittebant :
“ oriri illud statuo ex irritabilitatis gradu
“ nimiùm incremente, et aucto, stimulum abf-
“ que violenta constrictione non ferente :
“ idem saepissimè mihi contigit in intestinis,
“ quae irritata, semper ferè spasmodicè se con-
“ traxerunt ; quod et de vesica verum est. Se-
“ mel hanc rem oculis comprobata vidi,
“ quando una cum amico, viro doctiss. FRED.
“ KUTSCH, contemplatus sum in aperto ab-
“ domine vivi canis, summâ certè admirata-
“ tione, arteriae cujusdam singularem ejus-
“ modi motum, et pulsum, qui a reliqua-
“ rum arteriarum motu statim ad levem ocu-
“ li conspectum peculiari suâ actione diver-
“ fus, conspiceretur : leniter dein tantum-
“ modo ope scalPELLi illam irritavi, exin, quod
“ mirum, motus ille, qui systole et diastole
“ peragebatur, disparebat : arteria enim duo-
“ bus in locis mediocri longitudine se ex ad-
“ plicato stimulo constringebat in violentam
“ contractionem absque remissione : eò loci,
“ ut externo adspectu adparebat, magna ex
“ parte cavum suum deleverat, locus inter

" spasmus medius mirum in modum dilatatus
 " conspiciebatur, solito enim diametro duplo
 " quidem ad oculi conspectum amplior erat :
 " post mortem haec omnia evanescebant, erat
 " que arteriae aequalis diameter, et debita
 " capacitas *." " Hoc experimentum eviden-
 " tissimè evincit arteriarum vim irritabilem."

" Cæterùm non solum contractionem fieri
 " credo in notabili quadam arteriae parte,
 " ut supra monui, sed et per totum ipsius
 " decursum id locum habere censeo, adeò ut
 " tota arteria et plures simul rami ob spasmo-
 " dicam constrictionem praeter modum an-
 " gustiores sint : observavi nempe, in primis
 " sub experimenti initio arterias diametro
 " minores adparere, solitoque contractiores,
 " dum pulsus vix oculis erat conspicuus, nec
 " observabilis ferè in diastole et systole dia-
 " metri mutatio, quod et HALLERI experi-
 " mentis confirmatur †. Arteria ad digitum
 " attactum

* Vid. Exper. viii.

† Vid. Oper. Min. Exper. l. p. 73: et Elem.
Physiol. tom. ii. p. 238.

" attactum inveniebatur rigida, dura, sentire
 " tamen potui digitis motum quendam par-
 " vum, celerem, tremulum: a cordis inae-
 " quali actione haec non pendere exin mani-
 " festum, quòd quandoque non simul in om-
 " nibus arteriis, quas denudaveram, haec ob-
 " servare liceret, unius nempe arteriae pulsus
 " erat quandoque parvus, diameter contracta,
 " &c. dum alia arteria pulsu fatis libero, imo
 " celeri, ac forti agitabatur: post aliquod
 " tempus saepe cessabant haec symptomata,
 " arteriae diameter augebatur, pulsus erat li-
 " berior et fortior egregiè observabilis *."

Quaedam eorum experimentorum in hac
 urbe ab auctore iterata †, non prospere pro-
 cessisse, haud negandum est, sed in memoria
 semper tenendum, unius accurati et certi ex-
 perimenti testimonium minime irritum facere
 etiam sexcenta infausta, praesertim in calidi
 sanguinis animalibus, ubi muscularum irrita-
 bilitas adeò fugax, eventusque tot causis ad-

huc

* Vid. Exper. vi. viii. xiv. xviii. &c.

† Ut et quatuor quae supra memoravit.

huc ignotis*, mutari potest. D. DENNISON, amico ejus Doctore BYAM, et ingenioso INNES praesentibus, arteria crurali canis telam reticulosam exsecuit, et illam deinde ad contractiones ciere, acu, cultro et tenaculâ applicatis, frustrâ conatus est: sed inflammatio ne inductâ, quoties haec instrumenta arteriae admovebantur, pulsus frequentiores, motu, undarum instar, alternante, secuti sunt. Hocce experimentum in arteria femoris alterius factum est, idemque fuit eventus †. Celeb. MONRO ranae aortae praecisae tubum infixit, per quem solutionis opii guttam introduxit, cuius effectus statim per universum corpus manifesti fuerunt.

Arteria divisa sensim se contrahere obser-
vatur, donec totum ejus cavum clauditur †.
Si autem contractio manere permittitur donec
animal

* FOWLER On Animal Electricity.

† Vid. Disp. ejus ingenios. de Irritabilitate Vaso-
rum, Edin. 1775.

‡ MORGAGNIUS, MONRO, VERSCHUIR, HUNTER.

animal mortuum sit, et tunc ultra quietis statum corporum, vi resiliendi gaudentium, distenditur, fibi relicta ad hunc statum confessim redibit, sed non ulterius*. Idem scriptor nostram hujus rei notitiam, per seriem experimentorum utilium in arteriis equi sanguinis jacturâ mortui, magnopere ampliavit†. In his experimentis ostendit, secundum clar. CULLENUM caeterosque, vim resiliendi vasis, quo proprius cordi, majorem, quo longius ab eo, minorem esse; vel aliis verbis, vim eorum resiliendi capacitatem sequi, vis autem muscularis rationem esse prorsus inversam. Cujus rei causa sat manifesta videtur: nam maximus renixus, ubi cordis impetus validissimus, et vis muscularis, ubi minimus est, postulatur.

Phaenomena, quibus supra innuimus, arterias vi musculari praeditas esse indicantia, sunt; imo, Cutis inflammatio per vesicatoria et

* Vid. HUNTER, On Inflammation, p. 114.

† Vid. Notam A ad finem.

et finapismos; 2do, Vultūs rubor subitus et candens, qui praesertim in sexu fœminino, pudorem comitatur; 3tio, Salivae fluxus immodicus, quem cibi grati visus seu recordatio in esfurientibus excitat. His addi possunt exempla monstrorum corde, seu aliqua simili parte*, carentium, in quibus fluida praecipue vasorum ope cursum suum perficiant, necesse est. Postremò pulsūs debilitas, carnisque tabes in membro paralytico. Si huic exemplo objiceretur, quod in omni paralyseos casu non accidit, respondeatur, musculos voluntarios, fine ulla vis muscularis vasorum mutatione, voluntatis imperio non obedientes fore, (quod revera paralysin constituit), in animo facile concipi posse.

Arterias sanguinis stimulo in contractionem cieri, sed, in nonnullis exemplis, e stimuli fortissimi ad externam earum superficiem applicatione nullam contractionem oriri, mirum videatur; sed admiratio nostra, aliqua ex parte,

* SWIETENII Com. tom. I. p. 256. et Histoire de l'Acad. des Sciences 1703, et Mémoires 1740.

parte, evanescit, cùm consideremus illustrem HALLERUM ipsum confessum esse, cor in animalibus moribundis, vel nuper mortuis, leni stimulo tepidae aquae vel aëris in ventriculos ejus injecto, multò magis affici, quām cùm liquores acerrimi superficiei ejus externæ admoveantur, vel cùm cultri cuspidē pungatur *.

Venae, non secus ac resorbentia, irritabilitate ad liquorem, quem continent, promoven-
dum, instructæ sunt †. Hoc patet ab expe-
rimento, cui scriptores primi de sanguinis cir-
citu adeò mentem adhibuerunt, ubi, venis
in diversis corporis partibus ligatis, partem
inter ligaturam, et arteriae extremitatem tu-
mescere, illam autem inter cor et ligaturam,
inanem fieri, animadverterunt. Porro, cùm
Gyrini (*Tadpole*) cauda per *microscopium* in-
spiciatur, sanguinis globuli huc illuc fluitan-
tes, donec a venis forbentur, aliquamdiu con-
spiciuntur.

* Acta Gotting. tom. ii.

† HALLERI Experimenta vasorum resorbentium
irritabilitatem monstrant.

spiciuntur. Hae duae res argumento sunt, vim a tergo minimam esse, postquam sanguis tot causas, cursum ejus retardantes passus est. Deinde, sanguis in corpus cavernosum penis, cùm ejus erectio fit, effusus, vi venis propriâ reforbeatur, necesse est, nam injectiones per arterias in cadavere, nunquam, ni fallor, per venas penis revertuntur.

De inflammationis phaenomenis.

Cùm aliqua corporis summi pars rubet, callet, dolet et tumet, inflammatio adesse dicitur. Haec *symptomata*, cùm sint graviora, calor major, cutis sicca, pulsus frequens et durior, vigilia, urina rubra, nullum cibi desiderium, et sitis, semper comitantur. Partem internam hoc morbo laborare, e dolore ibi fixo, non nullis ejus functionibus turbatis, et majore vel minore pyrexiae gradu, colligere licet. In exemplis dubiis, judicio nostro auxiliatur sanguinis inspectio, qui concretus, inflammatione praefente,

praesente, superficiem coriaceam plerumque exhibet.

Inflammatio tribus modis definere solet; nempe, in resolutionem, suppurationem, et *gangraenam*. Cùm signa paulatim decedant, integrâ partis texturâ, resolutio accidere dicatur. Sed quum dolor, primò forsan paulò obtusior, magis acutus evadat, caeteris symptomatis eodem tempore ingravescientibus, suppuratio vel gangraena metuendae sunt. Rubor et calor, imminuti, dolor lenior et pulsatilis, horrores frequentes, pulsusque molliores, suppurationem adesse commonstrant. Sed partis inflammatae color e rutilo puniceus factus, et vesiculae apparentes in parte inflammata, quae flaccescit et torpescit, et pulsus minores sed non rariores, gangraenae praenuncia sunt.

Praeter inflammationis eventus jam memoratos, non praetereundum est sequentes, qui a partis natura praefertim pendent.

imo, *Scirrus*, seu partis, inflammatione olim affectae, durities, et sensûs privatio. Hic even-

tus, qui raro occurrit, partibus glandulis instructis praecipue accidit.

2do, Sanguinis puri effusio in telam reticulofam. Haec terminatio inflammationem pulmonum plerumque excipit, ubi liquor effusus, vasis compressis, et sanguinis circuitu impedito, suffocationem fatalem efficit *. Alius terminationis exemplum praebent *erysipelas* et *erythema*, quam insignit liquor subflavus, subter cuticulam effusus, eandem inflans et rumpens aequae ac vesicatorium. Partium internarum, quas inflammatio corripuit, superficiem semper fere obducere videtur ex sudatio, quae partim concretio viscida in earum superficie sita, partim latex serosus in cavitates, ubi viscera inflammata jacent, effusus, appetet †.

Quoniam inflammatio secundum partis inflammatae naturam variat ; quoniam varia signa eam comitantur ; varie finitur ; magis vel minùs

* CULLEN. First Lines, vol. i. p. 272.

† CULLEN, loco citato.

minùs acuta vel vetusta evadit; variam, et nonnunquam contrariam medendi rationem postulat; D. C. SMYTH, postquam plurimum studii huic rei impenderat morbum in quinque species dividit *; quam divisionem, quum secundum eam indicia et curationem inflammationis optimè narrare possum, in hunc locum proferre mihi liceat.

imo, Cutis inflammatio. Erythema et Erysipelas. In his morbis tumor diffusus, et parum elevatus est; rubor qui non candet, et saepe cupro similis est, digito premente, statim evanescit, sed citò redit; hunc colorem nulla regularis circumscriptio definit, sed huc illuc serpit, et semper fere ad vicinas partes tendit. Dolor similis est ei quem ignis corpori nimis admotus excitat. Cuticula in vesiculas inflatur, modò parvas modò majores, subflavum

* Vide "Medical Communications," vol. ii. vel ejus Dissertationis ingeniosae compendium accuratum, in "Medical Commentaries," Decad. secund. vol. 7mo.

vum liquorem continentes, quo expresso, ima vesicularum saepe livida videntur. Deinde cuticula in squamas abit, interdum gangraena, nunquam suppuration, nisi *phlegmone* comitante, supervenit.

2do, Phlegmon, seu telae reticulosae inflammatio. Sub hoc nomine comprehenduntur non solùm tela reticularis proprie ita dicta, sed etiam membrana adiposa, glandulae et viscera, quibus est similis spongiosa textura, membranâ cellulofâ, prope infinitam minutorum vasorum nervorumque seriem connectente, maxima ex parte conflata. Haec species, externe fita, a priore diversa est tumore et colore, qui magis rutilus et circumscripta est; tumore magis elevato praesertim in centro, magna tensione et dolore pulsatili stipantibus; postremò, supuratione saepe superveniente. Quod cùm accidit tumor paulatim crescit, fit mollis, et aliquantò elevatus in centro, vel parte maxime inferiori; et cùm premitur, liquor sub digito fluctuare sentitur.

3tio,

3to, Membranarum *diaphanarum* inflammatio. Sub hoc nomine D. SMYTH comprehendit omnes membranas firmae duraeque texturae, et aliquatenus pellucidas; quales sunt *pleura* et *peritonaeum* (seu *thoracis* et *abdominis* viscerum commune, seu unicuique visceri proprium externum, integumentum, efficiens), *pericardium*, cerebri membranae, tunica vaginalis testis, *periosteum*, et ligamenta capsularia artuum. Quae hanc inflammationis speciem insigniant, parum accurate constat. Tamen magnum dolorem et plerumque febrem ejus comites esse, compertum est. Sed morbi terminatio eum et a *phlegmone* et *erysipelate* speciatim distinguunt. Membranae *diaphanae* ex inflammatione fiunt crassiores, opacae; superficies earum viscidâ vel purulentâ exsudatione obducuntur, interdum adhaesionibus praeter naturam originem praebente, interdum autem cavitates, his membranis instructae, fero turbido, in quo filamenta fluentia observari solent, complentur.

4to, Membranarum mucosarum inflammatio. Hae sunt membranae quae nares, fauces, *laryngem*, *tracheam*, *pharyngem*, *oesophagum*, ventriculum, intestina, lienem, renum pelvem, *ureters*, vesicam, *urethram*, uterus, vaginam, palpebras obducunt, et ea quae tunicam oculi conjunctivam format. Praecipuae earum inflammationis notae sunt sequentes. Membranae crassitudo, et sensibilitas aucta; superficies villosa rubra et spongiosa, cum caloris et modestiae sensu, sed raro alicujus acuti doloris, nisi a fluido superficiem inflamatam perstrinente, oritur. Mucus, qui naturalis, blandus, pellucidus, glutinosus liquor existit, ex inflammatione proprietatem suam viscidam amittit. Primò tenuis et acer est, saepe partes vicinas corrodens, sed versus morbi finem, purulentus fit. Haec inflammationis species saepe aliquamdiu durat, et in omni exemplo ubi morbus fuerit gravis, pars debilis, et a causa levissima affici obnoxia, diu manet.

5to, Fibrarum muscularium inflammatio. Haec inflammatio a praegressis ejus speciebus multis

multis modis diversa est, eique *Rheumatismi* acuti nomen vulgò inditur. Eaedem notae, quae omnes alias internas inflammations distinguunt, eam quoque insigniunt: nempe, vehementis vel acutus dolor, febre stipatus, et motu vel distentione multùm auctus; sanguis detractus superficiem inflammatoriam exhibens; morbusque raro decedens nisi sanguine educito et regimine *antiphlogistico* sedulò observato. Propterea quòd artus huic morbo prae caeteris partibus obnoxii sunt, nonnulli morbum ligamentis et tendinibus eorum contentum esse putârunt; et dolorem a motu ortum ad musculos consensu propagari. Sed rem sepe non ita habere vel hinc patet, partes musculares, veluti pectus et lumbos, morbum saepe adoriri. Hujusmodi exemplum memoriae tradit accuratus MORGAGNI, in opere ejus eximio *, ubi fibrae *sacro-lumbalis* et *quadrati lumorum*, in fuscum colorem mutatae, et mirum in modum laxae et flexibiles factae sunt. Affectionem autem in membranis saepe fitam esse,

* De Sedib. et Caus. Morb. Epist. LVII. § 17.

esse, a muco, vel lympha *coagulabili*, in earum superficie deposito, probabile videtur. Poror, haec inflammationis species a suprà narratis differt, quippe quae ad suppurationem non proclivis sit. Hcc nunquam fere in *rheumatismo* accidit ; sed cùm diu persliterit, vel non prorsus sanatus sit, originem praebet debilitati et paralyysi fibrarum muscularium, vel tendinum rigiditati, et materiae glutinosae circum earum vaginas, et ligamenta artuum majorum, congeriei, membrorum motum omnino impedi- enti.

De causis excitantibus.

Hae sunt variorum stimulantium applicatio, qualia sunt ; *imo*, Fortia acida, cantharides, quibus ignis actio adjici potest : *2do*, Vis externa varia vulnera et contusiones faciens : *3to*, Extranea in ulla corporis parte latentia, idemque mole seu pondere suo comprimentia : postremò frigus corpori variis modis admotum.

Pauca in Medicina *Theoretica* medicorum attentionem magis sibi vindicarunt, vel verborum contentioni origini feraciori fuerunt quàm frigoris operatio. Clarus CULLENUS, qui, in plerisque hujusmodi rebus, praedecessoribus suis judicii acumine antecelluit, hanc rem prope in statu quo invenit reliquie videtur. Postquam pauca de *absoluto* et *relativo* frigore differuit, usitatos frigoris effectus in corpus humanum enarrare pergit verbis sequentibus. “ Cold, in certain circumstances, “ has manifestly a sedative power. It can “ extinguish the vital principle entirely, ei- “ ther in particular parts, or in the whole bo- “ dy*.” Redire ad alias hujus scriptoris operum partes, ubi opiniones suas de *physiologia* clariū edidit easque iterum considerare, ejus veram sententiam ex suprà citatis verbis colligere, optimum consilium esse videtur; an definitiones, igitur, quas in *Institutionibus Medicinae* fecit, rei, de qua hic agitur, respondebunt necne, conemur. In pagina sexagesima, sexta hujus libelli, tam multa complectentis, ait, “ We name the facility with which the

D

“ contraction

* *First Lines.*

“ contraction of muscular fibres can be excited, their MOBILITY, and the force with which it can be performed, their VIGOUR;” et in alio loco, “ The means diminishing the mobility and vigour of muscular fibres are called SEDATIVE POWERS.” Duas ob causas, frigus *sedativum* in hoc sensu dici nequire, facile patet. Nam, *imo*, *Irritabilitatem** calidi sanguinis animalium magnâ temperie statim deleri, e contrario, frigus quàm maxime intensum eandem non minimum quidem imminuere, ab experimentis certiores facti sumus: 2do, Bene notum est, corpus, quum aliquamdiu frigori expositum fuerit, veluti post in balneo frigido immersionem, temperiei solitae iterum

* Hic loci non alienum videtur animadvertere, opinionem, nempe *magnitudinem* contractionis musculi, non *frequentiam*, indicum esse, *irritabilitatis* auctae, me amplecti. In locum *irritabilitatis* subeat nomen *muscularis vis*, nonne absurdum foret majorem muscularum vim puellae *Hysteria* laboranti quàm robusto agricolae, secunda valetudine fruenti, attribuere?

iterum expositum, totum candescere. Hoc demonstrat, non solùm *mobilitatem* vel ad *actiōnem* facilitatem, sed *vigorem* quoque seu contractionis gradum, frigori exposito corpore intendi; nam pulsus pleniores et validiores evadunt. Ne suprà dicta nonnullis ambigua videantur, non alienum videtur notare, inter mobilitatem et actionem magnam discrimen intercedere; recte enim affirmaretur, mobilitatem fluidi, (*nervosi*, putà; cuius conditionem, variis temporibus, diversam esse CULLENUS duxit), etiam tempore quo quietum est, augeri.

Definitio tamen occurrit in praefatione ad *sedantia* in ejus Materia Medica, secundum quam, faltem ex parte, frigus non immeritò sedativum nuncupari potest. Ejus verba sunt,
“ Sedatives are the powers, which directly,
“ and without evacuation, diminish the *motions*
“ and powers of the human system.” Ab omnibus concessum iri credo, naturalis temperiei imminutae primum effectum vasorum sanguinem vehentium actionem debiliorem es-
se;

se; rem ita se habere, cutis pallor, vasorum lumen imminutum, et pulsuum exilitas, indicio sunt. Hinc primo aspectu mirum videatur huic ratiocinationi quod sequitur objicere; nomine sedativo etiam in hoc sensu frigori dato, ex *analogia* in aliis rebus observata nos discedere, cum omnia haec, in quacunque proportione adhibentur, quae corporis secundam valetudinem tuentur, nempe alimentum, sanguinem, *oxygenium*, &c. stimulantia appellemus. Hic dicendi modus ab observatione, id stimuli quod homines divites et luxuriosos sustentare nequit, inopi plebi sufficere, ortus esse videtur. Forsan aliqui opinentur, nimiam in verbis explanandis attentionem ad neglectum ejus quod majoris momenti est ducere periclitari; sed perfecto tertio libro JOHANNIS LOCKE operis praestantissimi, eorum sententiam citò vertent.

CULLENUS deinde proprietatem omnino contrariam frigori ascribit; “ It is equally manifest that, in certain circumstances, cold proves a *stimulus* to the living body, and particularly

“ particularly to the sanguiferous system.” Secundum definitionem, quam in *institutionibus* dedit, nimirum, “ whatever can excite “ the contraction of muscular fibres, is called “ a stimulus,” frigus, vel potius calorem imminutum, stimulum merito vocari, nemo inficias ibit. Sed hanc non ejus sententiam fuisse, temperiem autem imminutam magis, quam usitata, stimulare, ex verbis sequentibus manifestò appareat. “ It appears to me probable, that every change of temperature, “ from a higher to a lower degree, will prove “ more or less stimulant; excepting when the “ cold applied is so intense, as immediately “ to extinguish the vital principle in the “ part.” Praeter contradictionem manifestam, calorem usitatum, stimulum, ejusque et majorem et minorem quantitatem, fortiorum stimulum, cum vocamus; ab effectibus frigori expositionis, nihil stimulantis nomen in hoc sensu minus mereri, patet. Hi effectus sunt, cutis pallor, pulsus parvus, et si frigus satìs diu manserit, torpor universus, quem excipit mors.

Fere

Fere supervacuum est dicere, pulsum celerem, nisi etiam plenus sit, actionis vasorum auctae nullum argumentum esse; pulsuum enim celeritas in maxime debili corporis conditione, in *typho* nempe, *hydropo*, &c. saepe adest; cuius rei ratio simplicissima est. Quamvis, enim, pulsuum celeritas multò major sit quàm in corpore fano, tamen fibrae contractiles quibus arteriarum parietes constant, per minus spatiū, tempore dato, transi queant *.— Duo modi sunt quibus temperies imminuta corporis actionem augendo habilis evadit. *imo*, Cùm corpus, postquam aliquamdiu frigori objectum est, velut in balneo, temperiei solitae iterum redditur. *2do*, Cùm temperies non multùm imminuitur, corpusque non citò ad pristinum statum suum reducitur, velut cum homines in balneum apud *Buxton* descendunt. In illo exemplo, irritabilitatem intensam esse probat calor naturalis, majorem solitā actionem excitans; in hoc autem irritabilitatis augmentum deficiētem compensat, ut in iis qui frigori intenso objecti sunt; ubi, si calor pa-

rum

* Vid. Notam, B

rum caute adhibetur, vehemens inflammatio et gangraena sequuntur. In frigidis plagis degentes, quibus hoc innotescit, partes prius aliquamdiu nive fricare solent, quam hâc affectione laborantes in calidam domum ducant.

CULLENUS postremò vim *astringentem* et *tonicam* frigori attribuit; quarum prior, ait, manifesta est ob vasa superficiei frigore constricta, unde cutis pallor, et perspirationis suppressio oriuntur. Quamvis multùm dubitem, num ullae res corpus humanum, eodem modo quo astringentia corpora inanimata, afficiant, telâ cellulosa exceptâ, operaे pretium non foret hîc loci questionem hujusmodi instituere; nam in spem venio, priusquam, hæ observationes ad finem perductæ fuerint, omnia symptomata suprà relata vasorum capillarium actione imminutâ solummodo, facile explicatum iri. Frigus vi tonica indirecta, corporis irritabilitatem augendo, pollere, facile concedi potest.

Ex omnibus hactenus dictis colligimus, *caloricum* auxiliorum vitae maxime necessariorum unum, justò nimium corporis actionem augere, dum irritabilitatem minuit; contra, justò minus actionem minuere, irritabilitatem intendere. Quocirca frigus fatì magnum, vel paulatim auctum, indefinenter corpori admotum, quibusdam morbis inflammatoriis, praesertim *variolis*, medelae est; sed brevè vel modice applicatum, vigor et actio aucta subsequuntur. Hinc in multis morbis, quos vasorum debilitas stipat, auxilio est.

Modus, quo frigus morbos inflammatorios gignit, ex antè dictis fere manifestus est. Sic, cùm aliquis frigori aliquamdiu objectus sit, vasorum actionis imminutio seu *torpor* sit, quae calori, cui antea sumus expositi, accurate respondet; nam quò minor irritabilitas est, eò graviùs stimuli abstractionem ferre potest. Cùm domum, vel potius in conclave calidum iterum revertamur, hunc torporem excipit actio aucta, irritabilitatis augmeni debita, quae in aliquam præ caeteris partem in-

cumbens,

cumbens, propterea quòd aëri magis obnoxia est, vel propter ejus majorem sensibilitatem naturalem vel acquisitam, vel ob aliquam causam adhuc ignotam, inflammatio, cui febris *symptomatica* saepe succedit, accidit *.

De partis inflammatae vasorum conditione.

In hac re investiganda in memoria semper tenenda sunt sequentia.

1. Cùm fibra muscularis se contrahat, extremitates ejus ad sese invicem accedunt; cumque vasorum sanguinem ferentium fibrae transversales fint, earundem contractio illorum canalium capacitates minuat, necesse est.

2. Musculo contracto potestas nulla est se producendi; sed adeò laxus evadit ut facile E distendatur;

* Ratiocinatio paginarum praecedentium, celebri doctrina animalis vitae in Elementis Medicinae BRUNONIS, et Zoonomia DARWIN, contenta, nititur.

distendatur; inter quod faciendum nulla vis est superanda, nisi inertia, et materiae removendae frictio. Quae vasa producunt, sunt sanguis eò influens et vasorum tunica vi resiliendi praedita*. Ex cl. HUNTER experimentis jam citatis patet, arterias vi resiliendi praeditas esse tum ad muscularum contractionem adjuvandum, tum ad *antagonistae* seu *elongatoris* vice fungendum; statu medio seu naturali a vi resiliendi sola genito, statu autem contractionis per vim musculararem effecto.

Parte inflammatâ inspectâ, rubor et tumor, plus sanguinis eò propelli quàm venae reducere possunt, tempore dato, statim nobis fidem faciunt. Multae *hypotheses* ad hanc rem explanandum excogitatae sunt; sed cùm pleraque harum tantùm sint modificationes duarum praecipuarum, nempe, partis vasorum actionem,

* Vi resiliendi praedita dupliciter agunt; nimirum ultra statum solitum et naturalem extensa eò iterum redeunt, et nimis contracta ad eundem statum denuo expanduntur.

nem, caeteri systematis ratione, aut imminutam aut auctam esse, annon *phaenomena* jam enumerata ad utrumvis caput recte referenda sint, primùm investigabimus.

Si alicujus arteriae partis irritabilitas deletur, sanguinis in primam ejus arteriae partem impetui eodem modo ac in arteria sana, repugnat. Hunc renixum praebent, *imo*, Sanguinis in parte contenti massa, cuius velocitas minor est quàm in sequenti; *2do*, Vasorum tunica elastica, et interna; quarum cœfarum neutra in hoc casu mutationem ullam subit: *vi a tergo* eâdem manente, quamvis arteria in *diastole* ad solitam diametrum dilatetur, ad *systolen* solitam fese non contrahit, ideoque sanguinis quantitas usitata expelli non possit. Renixus, igitur, sanguini, in eandem portionem iterum ingredienti, major erit, propter majorem sanguinis undam quæ ibi continetur. Sed quoniam arteriae contrahuntur alternatim, quò propius arteriae parietes unius portionis ad se invicem accedunt in *systole*, renixu dato, eò potentior erit portionis proxime sequentis *diastole*.

ftole. His consideratis; adductus sum suspicari, arteriam, adeò debilitatem, non solum, tempore dato, minus quam sana sanguinis, transmittere, sed minus quoque admittere, et aliquatenus saltem subsidere. Suspiciones, autem, meae brevi confirmatae sunt omnes, quum quorundam experimentorum, quae ab ingenioso FOWLER, et erudito HALLERO instituta sunt, narrationem perlegisssem ; quaeque quoniam in hac re investiganda maximi sunt momenti, hic loci, ipsis auctorum verbis, citandi libertatem mihi non negatum iri spero.

“ Auriculis externis vivi cuniculi ad cu-
“ tem tonsis, et probe lotis, omnes earum
“ venae et arteriae in conspectum venie-
“ bant. Cutem dein unius auriculae se-
“ cui rectâ lineâ, cursum arteriae comitan-
“ te, eique quam proxime. Arteria per to-
“ tum cursum tam fortiter fese contraxit, ut
“ area ejus prorsus obliteraretur. Sanguine
“ in eandem post aliquod tempus iterum re-
“ cepto, arteria in aliis locis ut antea contrac-
“ ta, in aliis autem, et contractionibus inter-
“ mediis valde distenta, visa fuit. Spasticis
“ contractionibus

“ contractionibus tum demum relaxatis, mag-
“ nā vī et copiā sanguinem promovebat, et per
“ ramum ejus minutum divisum foras proji-
“ ciebat. Sanguine, aquā frigidā admotā,
“ tandem represso, omnis cutis incisa, post ho-
“ ram et dimidiā, in tumorem supra arteri-
“ am se extendentem elevata fuit, ita ut cur-
“ sum arteriae fere celeret. Secatā iterum
“ cute telam cellulosam arteriam circumdan-
“ tem humore limpido oppletam inveni, et
“ cellularum partitiones vasculis rubris sca-
“ tentes. Cutem sic fluido effuso ab arteria
“ penē separatam, ope scalPELLi facilē summo-
“ vi, et arteriam per longum tractum prorsū
“ nudavi. Arteria ut antea primō se tota
“ contraxit, ita ut sanguinem penitus exclu-
“ deret; deinde autem eidem viam iterum
“ praebebat; et validis frequentibusque con-
“ tractionibus cursum ejus promovebat. Ar-
“ teriae nunc saturatam opii solutionem aquo-
“ sam ope penicilli admovi, et eandem maden-
“ tem curabam per diem et dimidiā, ut
“ vim contractilem tunicae ejus muscularis
“ quam maxime delerem. Primō, arteria se
“ magis

“ magis contraxit, postea autem paulò dilata-
 “ tior apparebat, et tandem omnino *exsanguis*
 “ evadebat. Irritatâ capiti quam proxime au-
 “ riculâ, sanguis iterum in arteriam propelle-
 “ batur, quam perfluere videbatur quasi per
 “ canalem nulla vi vitali praeditum : intermis-
 “ sâ irritatione, brevè evanesceret.”

“ Ne autem suspicaretur (quanquam solu-
 “ tione nunquam non madidam) aëri exposi-
 “ tam, praeter modum corrugatam esse, et sic
 “ ad dilatationem minùs aptam evadisse, ar-
 “ teriae in sequentibus experimentis, eute-
 “ eandem obtegente adhuc integrâ, solutio-
 “ nem applicavi.”

“ In auriculis igitur, sex aliorum cunicu-
 “ lorum, postquam, incisione tractum arteriae
 “ comitante, et ab ea non nisi paululùm di-
 “ stante, cutem diviseram, quò melius effectus
 “ suos in arteriam solutio opii ederet, parti
 “ solutionem illinebam. Gravis statim in-
 “ flammatio excitabatur, quæ tamen brevi
 “ subsidebat, neque in his omnibus exemplis,
 “ minimum

“ minimum tumoris vestigium reliquit. Tres
“ auricularum in quibus experimentum insti-
“ tuebatur paralysi corripiebatur ; omnes vero
“ *exsangues* evadabant.”

“ Arteriæ nequaquam corrugatae, aut che-
“ mice contractae fuerunt ; nam levis irrita-
“ tio ad unam auriculam facta, extemplo eas
“ sanguini implebat ; brevì tamen (irritatione
“ intermissâ) evasuro.”

“ Ex his experimentis igitur lucide con-
“ stare videtur, distensionem partis alicujus
“ arteriae non ex debilitate tunicae ejusdem
“ muscularis provenire, (quoniam quò magis
“ debilitata eò minus distenta fuit arteria) :
“ sed ex contractionum vigore, et frequen-
“ tia *.”

Propter notam hujus ingeniosi scriptoris, in
experimentis faciendis, accurationem, eadem
experimenta cum opio a me iterata eosdem
habuisse

* Tentamen Medic. Inaug. de Inflammatione,
Edin. 1793.

habuisse successus, fete supervacuum est affirmare *.

Quamvis hæc experimenta sola, ad hanc opinionem refutandum, valere videantur ; experimentum ab HALLERO institutum huc proferam, quod nonnullis primo aspectu mirum videbitur.

Varios arteriarum truncos ligaturâ vinxisse, et, secundum HARVEIUM, partem ligaturam inter et cor tumescere observâsse, cum testatus sit, sic deinde loquitur. “ His in exemplis “ nullo modo dici potest, quod celeberrimus “ *Iatromathematicus* repetitò scripsit †, arte-“ riam ligatam, minus quam venam, intu-“ mescere, et vinculo nullum alicujus mo-“ menti tumorem in arteriis produci. Ranæ “ certe aorta, minimae, si in hominis corpore “ foret, et neglectae anatomicis arteriolae par, “ mire

* Vid. Notam C.

† SAUVAGESIUS in Theor. Tumor. p. 19. et Pulsûs Theoria, p. 26. Hos libros nunquam occasio mihi accidit legendi.

" mire tumet compressa aut ligata. Id ergo
 " experimentum videtur tum demum ex
 " cl. viri mente succedere, si proximus aliquis
 " ramus fuerit, qui aversum ab intercepto
 " trunco sanguinem recipiat, aut si minori-
 " bus demum vasis vinculum injiciatur. In
 " ranae nempe mesentericis arteriolis, quae ca-
 " pillares essent, si in animale calidi sanguinis,
 " aut in homine forent, in iis ergo arteriolis
 " utique, quando tenero sericeo filo eas ex-
 " cepi, vidi sanguinem in toto eo ramo quie-
 " visse, quem ligaveram, *absque ullo tumore*, at-
 " que ex trunco, a quo is ramus prodierat,
 " sanguinem aversum ad liberos ramos omnem
 " abivisse, atque denique sensim eum sanguini-
 " nem ex ligato ramo in ramos liberos aufu-
 " gifse, ut ramus vinctus, *inanis* superesset *"

Alibi in eodem libro, hoc experimentum,
 pari successu, ter iterasse, et cl. REMUM in
 felle idem fecisse affirmat †.

F

Hoc

* Opera Minora, tom. i. p. 189. Lausannae 1762,
vel Comment. Societ. Gotting. tom. iv.

† Op. Min. p. 74. vel, second memoire sur le Mouve-
ment du Sang. Lauf. 1756.

Hoc experimentum, primo aspectu, non aequē ac suprà relata huc respicere videatur; sed cùm consideretur, vis muscularis in arteriae portione defectum tantùm circuitui obstrare, aucto renixu, quem unda sanguinis contenta praestat; effectum ligaturaे prorsus eundem futurum esse, liquidò patet.

Intenso, igitur, renixu alicubi in extremis arteriis, constat, adeò non sanguinem ad huic renexui obstandum, et ea vasa distendendum, impuli, ut, e contrario, is ab itinere solito avertatur, et in eos ramos, ubi renixus minimus est, influat. Porro, sanguinis circuitui multò magis obstrare arteriae portionem irritabilitate privatam, quàm portionem eandem retinentem, concludimus.

Antequam alterius *hypotheseos*, nempe actionis auctae, investigationem ingrediamur, ad pauca, quibuscum arcte conjungitur, animum attendere, necesse erit.

Arteriae in vivo corpore sanguine plenae semper existunt. Experimentum simplicissimum hoc demonstrat. Si arteria, aut in *diastole*, aut in *systole*, quām maxime contracta, sauciatur, sanguis statim erumpit. Cūmque sanguis aliquamdiu ex arteria puncta stillaverit, etiam cūm systole perficitur, priusquam nova sanguinis unda alteri succedat, indefinenter fluit * ; et quamvis in systole non tam alte quam in diastole emicet, tamen perpetuum ejus profluvium est. LIEUWENHOECK sanguinis motum in arteriis perpetuum, quamvis diastroles tempore acceleraretur, observavit. Bene notum est, undarum sanguinis a corde magis distantium velocitatem minorem esse quām earum quae cordi propiores sunt ; quamobrem hae contra illas impulsae, rectā pergere quum non possint, vasorum parietes dilatant, pulsusque sic efficiunt. Haec velocitas undae sequentis quā undae praecedentis velocitatem superat, quo magis a corde distat, eo minor fit,
donec

* HARVEI Exercit. HALE'S Haemasticks. TRALLE'S Consider. Vit. et HALLERI Elem. Physiol.

donec adeò parva evadit, ut effectus ejus tac-tui, multò minus oculo, non manifesti sint. Hinc sequitur, si alicubi sanguinis unda ab aliqua causa acceleratur, velocitatem quoque in omnibus subsequentibus undis, auctum iri, donec cor ipsum affectum est; nam ejus contractionum velocitas sanguinis in truncis contenti velocitati, caeteris paribus, respondet.

Hoc de arteriis, solam vim resiliendi habere creditis dici possit, sed quum eas prout musculares habeamus, effectus multò major erit. **HALLERUS**, qui, ni fallor, plura experimenta de circuitu, quām ullus aliis *Physiologus*, instituit, toties observavit sanguinem accelerari venaefectione, adeoque magis, quām quod leges *Hydraulicae* explicare possunt, ut ei *vim derivationis* nomen indiderit, quam explanare se non posse confessus est. “ Nisi occultam, “ atque subtilissimam vasorum minimorum “ contractionem admittas, quae sanguinem “ contentum undique urgeat, pari vi, et quae “ motum multum generet, dum omnia vas “ integra sunt, tunc autem se exferat, et san-guinem

“ guinem in novum motum, restituat, et de-
“ nique per vulnus exprimat, quando locus
“ aliquis natus est, a quo eandem pressionem
“ demperis *.”—Recte observavit cl. CUL-
“ LENUS, “the power of derivation in the
“ sanguiferous system, seems to be no other
“ than that which arises from the fulness of
“ contractile vessels.” Institutes of Medicine,
p. 125.

Praeclarus scriptor* suprà citatus narrat
eventum viginti sex experimentorum, quae
fecit, ut certior fieret, num sanguis arterialis
venaelectione acceleretur, necne. “In quin-
“ que venaelectionibus,” inquit ille, “arteria
“ sordalis, aliaeque vicinae arteriae nullam
“ mutationem passae sunt; inter eas una fuit,
“ in qua vel ex venaelectione, vel ex qua-
“ cunque alia causa, sanguis per arterias etiam
“ tardius post incisionem venae motus est.”—
“ Fuerunt deinde vices venaelectionum viginti
“ aliae et una in quibus motus arteriarum fo-
“ dalium

* Elem. Physiol. tom. ii. p. 215. Lausannae 1760.

“ daliūm acceleratus est ; sive prius languisset,
 “ sive omnino quievisset. Et vel oscillatio
 “ praecessit, vel continuò legitimus (motus) ar-
 “ teriae conveniens rediit. Post horae quie-
 “ tem in arterioso et venoso sanguine fatis
 “ rapidus motus rediit, et in arteriis ipsis a
 “ venaefectione incitatus est.”*

Huc, igitur spectant quae celeber ille *Ia-*
tromathematicus BELLINI de venaefectionis ef-
 fectibus, dixit. “ Quantitas igitur sanguinis,
 “ singulis contractionibus cordis influens in
 “ truncum arteriae, a cuius continuis venis
 “ mittitur, sanguis, ad quantitatem, eodem tem-
 “ pore influentem, cum nihil sanguinis mitti-
 “ tur, erit reciproce, ut resistentia major, cum
 “ nihil sanguis mittitur, ad resistentiam mi-
 “ norem, cum aliquod in continuis venis emis-
 “ farium patet *.”†

Si alicui parti stimulus admoveatur ita ut
 sanguinem vehentium vasorum actionis aliquam
 mutationem

* Opera Minora, tom i. p. 217.

† De Urinis et Pulsibus, &c. p. 87. Lugd. Batav.
1730.

mutationem faciat, vasa illum propiora magis afficeret, quam ea quae longius ab eo distant, si irratibilitas eorum aequalis esset. Sed, quum vasorum minimorum irritabilitas major sit quam vasorum majorum, haec altera causa est cur illae, a stimulo sibi admoto, magis afficerentur.

Quoniam quae propositurus sum, ut antedictis provenientia, valde obscura, verbis expressa, forent; ad longas dictionis ambages vitandum, rem numeris illustrare conabor.

Portio arteriae, ejusque venae sodalis, in tres partes, brevitatis causâ, dividatur. Vene portionem cordi proximam A, medium B, et remotissimam C, indicent. Sed arteriae partem venae proximam D, medium E, et cordi proximam F, insigniant. Nunc, nobis met fingamus, actionem uniuscujusque arteriae et venae partis, prout a corde magis distat, paulatim augeri, adeò ut plus solito expellat,

pellat, quamvis renixus idem ac in sanitate sit,


Quis effectus
erit? Pute-

mus, partem
quam A de-
signat, pree-
ter solitam quantitatatem,

quant. $=1$ expellere. Partem, cuius signum est B, quantitates $2+1^*=3$; partem C quantitates $3+3^*=6$; expellere. In arteria, autem, partem D quantitates $3+6^*=9$; partem E quantitates $2+9^*=11$; postremò, partem F quantitates $1+11^*=12$, expellere, in animo concipiatur. Igitur manifestum est, sanguinis excessum in tali vasorum conditione, tempore dato, a venis reductum, quantitati, quam arteriae, eodem tempore, a corde ferunt comparatum fore ut $1:12$; ideoque sanguinis quantitatem necessariò venas arteriaeque termina-

tionem

* Propter renixum imminutum in parte praegressa; nam in sanitate si renixus imminuitur unā, tertiā, sextā, nonā, vel undecimā parte, divisiones plus sanguinis, proportione, expellunt, ut anteà demonstratum fuit.



tionem magnopere distendere, et in ea vasa, quae alias solummodo fluida limpida vehunt, impuli.

Ponatur excessus ad A indefinite parvus. Sic enim summae terminorum, duarum serierum quibus exprimitur sanguinis excessus, qui defertur a corde vel ad id reducitur ob vasorum actionem auctam, haud praeter modum augeri videbitur.

Certè mihi vitio vertetur, quia non habui rationem aucti sanguinis momenti in arteriis, quod ad ejus per venas redditum promovendum satìs valere, suspicari licet. Quamvis hujus rei gratiâ deductio facile fieret, tamen supervacua est, quoniam minor irritabilitas venarum quàm arteriarum hanc rem compensaret et amplius; hinc, stimulis aequè fortibus utrisque applicatis, actio in arteriis quàm in venis multò magis augetur.—Quod ad frictionem attinet; opinio valet hanc velocitati auctae respondere; sed rem ita sc

non habere, ab aliquibus ingeniosis VINCE experimentis, quae nuper in medium prolata sunt, patet *.—HUNTER pollici pedis aegri causticum quoddam per mensem secundâ quâque die applicavit; post unamquamque applicationem, partes vicinae rubrae factae sunt, omnesque venae in summo pede pariter atque in crure, tumescere, magnae et plenae fieri, caeperunt. Auctam venarum molem ab intensa temperie omnes observarunt, quod ab eadem causa pendere, probabile est. In ophthalmia membranarum vasa rubra formari bene observantur, quod fit, partim sanguine in vasa pellucida impulso, partim vasis veteribus longioribus factis †.

Eam vasorum conditionem descripsi quam iis inflammatis revera accidere credo: nam utrum morbus externus vel internus sit, vel undelibet oriatur, actio vasorum partis, quam majorum è tendentium vel inde pergentium, magis

* Vid. London Phil. Transf. Vol. 75. p. 165.

† Vid. Notam, D.

magis turbetur, necesse est.—Hi qui venis irritabilitatem parum, vel non omnino, attribuunt, actionis auctae opinionem sic defendere possint, neque ad actionis augmen paulatim accedens, quod explanationem suprà relatam aliquantò obscuram, primo aspectu, reddit, decurrentum foret. Parti stimulus admoveatur, arterias quam venas adeo multò magis afficiet, ut, quamvis sanguinis momentum augeatur, veneae tantum sanguinis reducere nequeant, quantum arteriae, dato tempore, educunt, ideoque congestio necessariò fiat. Excessus hicce, unoquoque tempore, ut anteà, minimus esse putetur, adeò ut congestio paulatim fiat, quod quidem inflammationis symptomata indicant.

De symptomatum ratione.

Inflammationis notae facilem explanationem, opinione talis vasorum conditionis quallem nos amplexi sumus, admittunt.

Rubor pendet ab insolita sanguinis quantitate non solùm in iis vasis olim pellucidis, sed in vasis

nis quoque arteriarumque finibus. Cl. HUNTER reperit sanguinem, a parte inflammata ab hirudine detractum, coloris majoris rutili esse quam sanguinem eodem modo a parte non inflammata detractum. Quod forsan hinc accidit, propterea quod sanguis, propter ejus velocitatem acceleratorem, mutationem, quam debet, non subet. Gangraena adventante, ob contrariam causam, rubor fuscior fit.

Doloris explicatio eodem quod ruborisredit; partium enim sensibilitas, caeteris paribus, pro sanguinis in iis contenti ratione semper esse observatur. Dolor pulsatilis, qui in *pbelgione* major est propterea quod arteriae affectae sede profundiori jacent, pressuræ laterali auctae debetur, quae sit simul ac vasa pellucida sanguine implentur. Si enim congestio, quae jam facta est, tantum renixus quantum in sanitate occurrit solummodo praeberet, diameter uniuscujusque partis sequentis arteriae, cum diastole peragitur, augeatur, necesse est, quia pars praegressa plus sanguinis solito expellere valet, quamvis renixus idem sit. Mag-

num dolorem distentione vasorum nervis finitimorum excitari D. PEARSON animadvertisit. Si digitus prope ejus extremitatem arcte ligatur, ita ut sanguinis per venas reditus impediatur, pars infra ligaturam tensa rubraque evadit, comitante dolore modico, sub uno quoque arteriae ictu plurimum aucto ; et si in hac conditione pars digitis alterius manus premitur, dolor et pulsatio leniores fiunt. Porro HUNTER ait, partem inflamatam pressurâ leni mitescere *. Doloris diurnitatem quod attinet ; ejus ratio difficillima est, cum omnes fere stimuli aliquamdiu applicati, sensibilitatem minuant. D. FOWLER explicationem sequentem tradit. “ Conditio nervorum cui sensum debent, citius, auctâ arteriarum actione renovatur, quam a stimulus distinctionis partium vicinarum infringi aut obtundi potest. Neminem latet amicus qui arteriosum et nervosum systema invicem jungit nexus †.” Hoc nos ad alteram quaestionem

* On Inflammation, in libro citato.

† Tentam. Medic. Inaug.

ftionem dicit, cùm fibrae muscularis lex sit, aliquatenus contrahi desinere, postquam stimulus aliquamdiu ei admotus est, cui inflammationis ipsius diturnitatem ascribere debemus? Confiteor mihi probabilem videri egregii DARWIN sententiam, nempe dolorem ab actione aucta vasorum ortum, stimuli officio fungi, actionem, ideoque dolorem vehementiorem excitando; hinc illud VIRGILIANUM parum mutatum huc bene spectaret.

— Malum quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Multae actiones in sanitate occurunt, quas parit voluptatis vel doloris sensatio, quales sunt papillarum foeminarum lactantium augmen, cùm prolem suam inspiciant; penis erectio; saliva fluxus in esurientibus, grato cibo conspecto; et lachrymarum secretio copiosa, quam ægritudo ciet.

Calor. Ex accuratis celebri CRAWFORD experimentis patet, *caloricum* gafis *oxygenosi* aëris

aëris ambientis, ad arteriae *pulmonalis* finem, sanguine ita se jungere ut ejus temperiem non augeat, utque hoc latens caloricum, sanguinis circuitu, liberum vel sensibile, postea fiat. Quotidiana observatio quoque morbidi statūs *phaenomenorum* confirmat, temperiem accurate respondere vasorum actioni, *i. e.* sanguinis quantitati ab arteriali in venalem, dato tempore, mutatae.

Tumor eidem causae ac rubor partim debetur, sed adhuc magis effusione feri et lymphae *coagulabilis*, quae propter partis indolem, in *phlegmone* maxime insignis est.

Opiniones BOERHAAVII et CULLENI de inflammatione quod attinet; ill. BOERHAAVII istam ab omnibus fere jam rejectam esse credo; lensoris enim praesentis in fluidis idea prorsùs est assumpta, quoniam sanguis in hujusmodi morbis detractus, fluida magis tenuia solito esse, nobis fidem facit. Congestio sane extremorum vasorum *spasmo* fieri posset, sed tum

tum venae inaniores solito essent, cui contrarium accidit.

Facilè apparebit praecipuum erroris fontem in vasorum partis inflammatae conditione consideranda, a neglectu connectionis inter arterias et venas, ortum fuisse; adeò ut aliquis, hâc viâ insistens, facilè demonstret, si portionis arteriae actio augetur (dum vena sanguinis quantumlibet reducit) nullam congestiōnem occurrere posse.

Ex antè dictis de auctae et imminutae actionis effectibus, sequitur, nonnullos morbos ab effusione aucta, ob exhalantium debilitatem, pendere creditos, hinc pendere falsò credi. Horum morborum praecipi sunt *hydrops*, ab *urethra* distillationes, et multa *Leucorrhœæ* exempla. Hydrops, procul dubio, vel ab imminuta absorptiōne, vel exhalatiōne aucta, propter aliquam causam sanguinis per venas redditum morantem, oriiri potest.

De Curatione.

Quoniam modus inflammationem tractandi pro partis affectae indole, aegrique corporis constitutione, variat, ullam generalem medendi methodum hoc consilio proponere, penè impossibile foret. Praecipua remedia, igitur, quae utilia reperiuntur, quàm brevissime enumerabo, ut de tempore quo indicantur, differam.

Sanguinis detractio, quippe quae omnium aliorum remediorum vasorum actionem validissime minuat, in morbis inflammatoriis caute adhibita optimum remedium est. De ejus usu in Erysipelite inter medicos minime convenit; sed in aliis ejus exemplis libere adhibitam saluti, in aliis autem morti inevitabili, esse, jam satīs constat. Eximii viri DARWIN et RUTHERFORD, hujus morbi divisionem, quae rem multò magis conspicuam reddit, fecerunt.

1. Ubi vasorum actio mōdica est, hoc erysipelas *sensitivum* Dris. DARWIN constituit;

2. ubi vehemens est, Erysipelas *irritatum* ;
3. ubi nimis debilis est, Erysipelas *inirritatum* ejusdem auctoris, nominatur. Phlegmonem quod attinet ; fane nulla inflammationis species in primo ejusdem stadio sanguinis detractionem liberiorem postulat ; sed, cum partem exteriorem occupet, hirudinum vel cucurbitularum applicatio ferme sat erit. Praeque inflammationes membranarum *diaphanarum* tam liberam sanguinis detractionem non patiuntur. Inflammationibus membranarum mucosarum generali sanguinis detractione, raro opus est. Hujus remedii in Rheumatismo acuto usus magno verborum certamini origini fuit, multis per ejus usum Rheumatismum chronicum gigni contendentibus. Sed si meam sententiam huc proferre licet, potius dicarem, morbum tempestivi hujus remedii usum neglectu vetustum saepe redi, ejusque pertinaciam, utcunque curatur, nobis copiam facere, illi modo, eum tractandi, quos nosmetipsi non adhibemus, detrahere.

Alvi purgatio eundem, sed non aequa diuturnum, effectum, ac venae sectio, edit. Efficienda est haec evacuatio catharticis lenioribus, qualia sunt *tamarindi*, *crystalli tartari*, *sulphata sodae*, et *potassae*, vel *phosphatas sodae*, *oleum ricini*, *calomelias*. Haec remedia praesertim prosunt, in secunda Erysipelatis specie, in Phlegmone externo, in membranarum *diaphanarum* et mucosarum inflammatione, et muscularium fibrarum ubi partes inflammatae eae sunt quas motus non multum afficit.

In omnibus fere inflammationis exemplis regimen *antiphlogisticum* sedulò observetur, necesse est. Hoc consilio aeger frigidulus servetur; et animi et corporis exercitatio, alimenti soliti stimulus, quaedam irritationes, quas fitis excitat, cruditates in ventriculo, vel faeces in intestinis accumulatae, fugienda sunt. Diaeta, mucilaginosis vegetabilibus, sc. avenâ vel oryzâ, &c. constare debet. Multum potum aquosum bibant aegri, cuius utilitatem sic explicat DARWIN. “ Water, in a quantity greater than usual, diminishes

“ minishes the action of the system, not only
 “ by diluting our fluids, and thence lessening
 “ their stimulus, but by lubricating the
 “ solids ; for not only the parts of our solids
 “ have their sliding over each other facilita-
 “ ted by the interposition of aqueous par-
 “ ticles ; but the particles of mucilaginous or
 “ saccharine solutions slide easier over each
 “ other by being mixed with a greater por-
 “ tion of water, and thence stimulate the
 “ vessels less *.”

Lenia Diaphoretica, qualia sunt quidam sales
 medii, et ex *antimonio* praeparata, post alvi
 solutionem, vel venae sectionem si opus est, in
 multis affectionibus inflammatoriis, nimirum
 Erysipelite, Catarrho, Pneumonia, &c. per-
 utilia esse reperiuntur. Rheumatismi medela
 sudorificis plerumque commissa est ; pulveris
Ipecacuanhae compositi CULLENO, sed Tinc-
 turae *Guaiaci ammoniatae* usum, aliis, pre-
 fertim FOWLER †, summâ ope suadentibus.

Emetica

* *ZOONOMIA*, vol ii. p. 754.

† On Rheumatism.

Emetica ut nauseam cieant administrata optimos effectus saepe edunt, nam nauseam va-
sorum actionem minuere bene notum est.

Opii usum quod attinet; Doctoris YOUNG regula generalis, cui CULLENUS quoque ar-
ridet, forsitan optima est; nempe, in omnibus
iis morbis ubi sanguinis detractio utilis est,
nocere. Attamen post idoneas evacuationes in
inflammatione membranarum mucosarum, et
aliquot aliis inflammationibus, insigniter ju-
vat.

Applicationes externae sunt sequentes.

Epispaistica, quorum operandi modus ratio-
nem reddere, multi conati sunt, sed frustrà. Si,
fluidis ad partem, cui applicantur, impulsis,
vel actione ibi auctâ, inflammationi prosunt,
ob eandem causam iis affectionibus, ab actione
imminuta pendentibus, officiant, necesse est.
Sed usus quotidianus unicuique fere medico
in plerisque morbis inflammatoriis magnopere
utilia esse, persuadeat, necesse est, iisque mor-
bis

bis naturae diversae creditis, saepe levamen afferre.

Pediluvia et fotus in multis casibus perutilia sunt, solumnumque saepe citius quam opiata aegris concilant. Boni eorum effectus vasis cutis ad statum naturalem reducibus magna ex parte debentur.

Remedia inflammationibus externis applicata quae prodesse observata fuerunt, adeò varia et sibi repugnantia sunt, ut mirer, aliquem argumenta ad opinionem quamvis, stabiliendum, inde ducere. In partis, quae igni nimis admotae sunt, HILDANUS et PAREY cataplasmata, e cepis et sale constantia, suadent; HEISTERUS, autem, *alkohol*, oleum *Terebenthinae*, calidam aquam, sale cum aceto. Inter FERNELIUM, HEISTERUM et SWIETENIUM convenit, partem affectam igni vel candelae exponi deberi. SWIETENIUS et SYDENHAMUS *alkohol* jubent; postremò Dominus BELL affirmat, ubi cutis integra est, et solummodo irritatione dolere videtur, do-

loris

loris levamen varia et prorsùs contraria praebere; qualia sunt frigida vel calida aqua, vel *spiritus rectificatus*. Auctoritates citare hīc supervacaneum foret, nam uniuscujusque fere experientia, levamen afferre haec diversa remedia, docet. Horum modus operandi facile explicari posset secundum opinionem quam in hac dissertatione amplexi sumus, nam in memoria tenendum est, actionem dupliciter minui, vel imminutis stimulis naturalibus, velut calore et sanguine, vel vasorum irritabilitate stimulis non naturalibus deletā, ubi functio partis affectae vitae non necessaria est. Verūm eorum investigationem detrecto, quoniam argumenta mea fundamento adeò lubrico inniti visum iri, nolo.

Suppurationis symptomatis adventantibus, promovenda est cataplasmatis calidis, quorum effectus cuticulae molliori factae, extensaeque, magna ex parte attribui debentur.

Gangraena, quae forsitan est mutatio chemica partium, ob irritabilitatem, i. e. *vitalitatem*,
deletam

deletam, in constitutione debilitata praesertim accidere solet, ubi actionis modicum augmen, parvam, quam habet, irritabilitatem, citò perdit. Sanguinis extravasationem solam gangraenam inducendo inhabilem esse, docet *eccybmoses*, sanguinisque in telam cellulolam effusio, quae interdum, inter venam secandam, venâ subter cutem a loco amotâ, accidit *. Remedia ad quae decurrentum est, cum gangraena advenerit, sunt *cinchona* et vinum, modice sed frequenter sumpta, ita ut concoctionem non laedant, nam corpori sustinendo, cibi nutritientis aliquantum multùm valet. Pannos linteos semunciâ *cerussae acetatae* in aquae libra solutâ madefactos, cruribus Erylipelate ab *anafarca* orto laborantibus, jamque ad Gangraenam vergentibus, aliis medicamentis praestare, affirmat DARWIN. Haec inflammatio in partibus debilitatis post cutis punctiones tam frequenter occurrens, adeò non monstrat vaga inflammata debilitata esse, ut non omnino accidere videatur cum debilitas maxima sit. “ I have seen several cases” inquit HUNTER, “ where the power has been so weak, that

“ the

* Audi Profs. GREGORY Praelectiones.

“ the wound, after tapping, has not united by
“ the first intension, nor has even acquired
“ the adhesive state of inflammation, and has
“ admitted water to pass through it from the
“ abdomen for several weeks without the pe-
“ ritoneal inflammation being excited. In
“ the same dropsical habits, I have seen scarifi-
“ cations in the legs or feet not inflame, so
“ that the cells were not united, but conti-
“ nued to discharge the water for many
“ weeks*.”

Hujus inflammationis ratio videtur esse,
partes non satis vigoris habentes primo con-
filio, quod dicunt, sanescere, aëri objectas in-
flammatas fieri, cui effectui quoque favet flui-
dum per puncturas destillans.

I

NOTÆ

* In libro jam citato.

THE FIVE MASTERS

the five masters, though I have never seen
them, except in the printed page, and even
then they are very difficult to see, because
they are all in black and white, and the
one who is supposed to be the best, is
not even half as good as the others.
The first master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The second master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The third master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fourth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fifth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.

The first master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The second master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The third master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fourth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fifth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.

The first master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The second master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The third master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fourth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fifth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.

The first master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The second master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The third master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fourth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.
The fifth master is a man who has
written many books, and he is very
well known throughout the country.

N O T A E.

A.

“ The experiments were made in the following manner: I took short sections of the different arteries, slit them up in a longitudinal direction, and in that state measured the breadth of each, by which means, as I conceived, I could ascertain their muscular contraction; then taking the same sections and stretching them transversely, I measured them in that state, which gave me the greatest elongation their muscular and elastic powers were capable of. As by this extension, I had entirely destroyed their muscular contraction; whatever degree of contraction they exerted afterwards, must, I believe, have been owing to elasticity. Having allowed them to contract, I again measured them a third time in that state, and thus ascertained three different states of vessels, between which, I could compare the difference either in the same or different sections, so as from the result to deduce, with some degree of certainty, the extent of these powers in every size of vessel.”

“ Aorta

NOTE A.

	Inches. $\frac{5}{12}$	Inches. stretched to $10\frac{6}{12}$	Inches. recovered to 6	Inches. had contracted by death $\frac{1}{12}$ part.
" Aorta ascendens,	-	-	-	-
" Aorta descends at } " first Intercostal,	$4\frac{1}{4}$	-	$7\frac{6}{12}$	$4\frac{6}{12}$
" Aorta descends at } " the lowest Part,	-	-	-	$\frac{1}{12}$
" Iliac Artery,	-	-	-	-
" Axillary,	-	-	I	-
" Carotid,	-	-	$\frac{6}{12}$	$1\frac{1}{8}$
" Crural,	-	-	$1\frac{4}{12}$	$\frac{10}{12}$
" Humeral,	-	-	$\frac{7}{12}$	$1\frac{2}{12}$
" Radial,	-	-	$\frac{3}{12}$	$\frac{6}{12}$

equal to the whole."

HUNTER, on the Blood, Inflammation, and Gun-shot Wounds, Lond. 1794, Chap. ii. Of the
Vascular System."

B.

“ Suppose the diameter of the artery during its
“ systole to be one line, and that the diameter of the
“ same artery during its diaftole in health is four
“ lines, and in a fever with great debility only two
“ lines ; it follows, that the arterial fibres contract
“ in health from a circle of twelve lines in circum-
“ ference, to a circle of three lines in circumference,
“ that is, they move through a space of nine lines
“ in length : While the arterial fibres in the fever
“ with debility, would twice contract from a circle
“ of six lines to a circle of three lines ; that is, while
“ they move through a space equal to six lines.
“ Hence, though the frequency of pulsation in fever
“ be greater as two to one, yet the velocity of con-
“ traction in health is greater as nine to six, or as
“ three to two.” ZOONOMIA, vol. i. p. 69.

C.

C.

D. ALLEN, qui in praelectionibus suis *theoriam*, cui adversor, ingeniose tuetur, his experimentis vitio vertit, opii effectus ad truncos magnos propagatos fuisse. Sed hoc concessso, cur truncus pariter atque rami sanguine non distenduntur? Si, in tali casu, sanguinis e corde expulsiōni minūs quām in sanitate repugnatur, secundum hujus opinionis fautores, distentio, cujus mentio modo facta est, accidere debet: Opīi effectus ad cor non propagatos esse liquidō patet ab auricularum vasīs, quibus opium non applicatum erat, in eodem statu manentibus.

D.

“ The incipient enlargement of the vessels upon
“ the first excitement of inflammation, is satisfactori-
“ ly seen in the following manner. Make an inci-
“ sion through the skin on the inside of the upper
“ part of a dog’s thigh, three inches long; by pul-
“ ling the cut edges asunder, and observing the ex-
“ posed

“ posed surface, we shall see the blush or ash-coloured cellular membrane covering the different parts underneath, with a few arteries passing through it to the neighbouring parts ; but in a little time we shall see these vessels increasing in size, and also smaller vessels going off from them that were not before observable, as if newly formed or forming ; the number and size shall increase till the whole surface shall become extremely vascular, and at last the red blood shall be thrown out in small dots on the exposed surface, probably, through the cut ends of the arteries that only carried the lymph before.” HUNTER, in libro citato.

Priusquam his paginis finem imponam, minime praeterunda est occasio haecce observantiam meam ostendendi, erga praceptorum meum DANIELEM RUTHERFORD, et JACOBUM HAMILTON nosocomii Edin. medico, qui digni sunt quibus sempiternas gratias haberem, propter attentionem, quam mihi, molestâ aegritudine laboranti, benevole impenderunt.

boles inisce, we issit les ce pines or dis-couper.
 e he collins-matapane, coueris the diffirent herbes
 et le senevier, galingale, a few alliaceous plants
 in the region, and a little time we
 otis has, exs an antiseptic decoction, made ready
 for to bathe him, in a poultice of white willow
 bark; we then had a nice
 wash, and then we were ready to proceed. And so
 we went on to the next day, and

ERRATA.

Pag.	lin.	<i>pro</i>	<i>lege</i>
24.	2.	poror	porro
32.	3. 5.	justò	justo
44.	22. 15	multum	nullum

